

Dispp. Thh. Vol. 1.



Oelth 61 Q (1-34)

2
3
4
5
6
7
8
R



25.
25

DE XEIPOTONIA

Ministorum Ecclesie,
commentatio Theolo-
gica;

in qua

Verbi vis enuncleatur, &

electionis antiquæ forma repræ-
sentatur;

publicè

Ventilanda

in

ACADEMIA MARCHICA,

CHRISTO VOTIS ANNVENTE,

Sub Prasidio

GREGORII FRANCI

S. T. D. & Prof.

Respondente

MARTINO CIBA

VNGARO.

*ad diem & Martij horis lo-
tog, solitis.*

Francofurti Marchionum

Typis

JOHANNIS EICHORNS.

az





Spectabili ac Magnifico Dn.

Dn. GABRIELI PRENNI

Sacræ Reg: Majestatis Cons. Dn. in Thur;
Terebes, Nyalab, Nagy Ida; &c. perpetuo
Comiti Comitatus Ugotsa, Dn. Mœcenanti
aternum honorando:

NEC NON

Admodum Reverendo ac Clariss.

Viro

MARTINO B. VVISKI,

Ministro Verbi DEI apud Ardovientes,
Fideli, Comitatus Ugotsa Seniori
Vigilantissimo, Fautori Bene-
volo

Primitias Studiorum.

D. D.

Respondens.

FRANCISCHINI
Typis
JOHANNIS FICHORNS



ΧΕΙΡΟΤΟΝΙΑ vox est, sacris juxta ac profanis Scriptoribus frequentata; ut & χειροτονεῖν verbum: designatq; solennem eorum actionem: quibus jus est & potestas, ex personis alicui functioni publicæ idoneis certam aliquam eligere vel designare.

II. Latior tamen ejus quoq; est significatio: ita ut nonnunquam de quavis extensione vel porrectione manuum aut digitorum usurpetur, *ἡ ἀρὰ τὸ τὴν χεῖρα τείνειν*, quod est *manuum protendere*: quo ferè sensu olim Stoici suo Sapientine *digitorum* quidem *sine ratione exserere vel extendere τὸν δάκτυλον ἐκτείνειν*, vel τὸν δάκτυλον σαλεύειν (ut loquitur Clemens Alexand. lib. 2. pædag. c. 10. pag. 92.) i. e. *digitorum movere vel agitare*, permittebant. Vide Epist. in Enchir. Plutarch. de Commun. Not. Persium Sat. 3. Hic *χειροτονία* ritum electionis vel designationis ad officium complectitur: quod Græci faciebant *ἀνατένοντες τὰς χεῖρας*, i. e. manus sursum tollentes, ut Budæus in Comment. Græcæ linguæ, pag. 218, & ex eo Henricus Stephanus in Thesaurø tom. 4. pag. 426. 427. ubertim docent. Nihil huc facit consuetudo gladiatorum: qui victi *digitorum* tollebant, ut docet Lipsius in Saturnalibus p. 731. l. 2. c. 22.

III. *Διαχειροτονεῖν* quoque, ait Budæus, d. l. est *duarum rerum propositarum disceptationem constituere ac diiudicare in concilio aut concione, ubi multitudo est consentium*. Et *Διαχειροτονία* est *diiudicatio & Διάκρισις ἢ ἐν πλῆθει γενομένης χειροτονίας*, id est, discussio electionis, quæ fit in congregatione populi, per manuum extensionem.

IV. Hic mos à Græcis ad Latinos dimanavit: ut te-

ftatur illud Ciceronis ex Orat. pro Lucio Flacco: *Data concio Latio est: proceffit ille, & Græcus apud Græcos, non de culpa ſua dixit, ſed de pena queſtus eſt. PORREXERUNT MANUS, pſephiſma natum eſt.* Et inde in Eccleſiam. Epifcopus enim rogationem faciens dicebat ſolemni formula: *ὄρω δυνεῖ, ἀγάτωρ ἡ χεῖρα*, id eſt, *Attollat nunc, qui vult, manum.* Vbi annuerat Epifcopus, *καταχειροτονία* dicebatur: ubi verò renuerat, *ἀποχειροτονία*. Hæc Photius habet in Lexico.

V. Bellarminus lib. 1. de Clericis cap. 7. §. tertio ſignificat, *χειροτονία* pro *χειροθεσία* (que Hebræis eſt *מִיָּכָר* ex Num. 27. v. 18. Deut. 34. 9. commendata à Paulo 1. Timoth. 4. 14. ubi dicitur *ἐπιθεσις τῆ χειρῶν*, id eſt, *impoſitio manuum*, & 1. Tim. 5. v. 22. Hebr. 6. 2. accipi ex Chryſoſtomo docet, & ex Theodoreti lib. 1. hiſt. c. 9. Verum *χειροτονία* propriè actum electionis ſignificat: cuius quia complementum erat impoſitio manuum, ideo non niſi ſynecdochicè *χειροτονία* pro ordinatione vel impoſitione manuum accipi poteſt.

VI. Sanè *καχειροτονημένοι* id eſt, *ſuffragiis populi deſignati* à Præbyterio vel Epifcopo ſolemni ritu ordinationis per impoſitionem manuum ad miniſterium Eccleſiaſticum ordinantur Act. 6. 6. Itaque nihil obſtat, quin actionis totius nomen per ſynecochem (eius puta ſpeciem, qua per antecedens conſequens intelligitur) ad eius partem præcipuam, qua approbatione Præbyterii ſeu Epifcopi conſtat, traducatur: niſi fortè metalepſin malis: quandoquidem *χειροτονία* cauſa erat impoſitionis manuum, & hæc illam ſtatim excipiebat. In hac acceptatione vocem *χειροτονίας* à Chryſoſtomo uſurpari Tom. 4. in Acta p. 551. edit. Comel. non negarim: ſed quam parū Bellar-

Bellarmino conveniat cum Chrysoftomo, mox ex th. 17. patebit.

VII. Quam prudenter autem & peritè exponat atq; alleget locum ex Hom. 11. in 1. Epist. ad Timoth. operæ præteritum forte est, ut omnes intelligant. [edit. Commel. p. 1574.] Ait ibi Chrysoft. differuisse Paulum de Episcopis, & postquam eos informasset, dixissetq; quamnam habere, & à quibus eos abstinere oporteat, omisso presbyterorum ordine ad diaconos transilivisse. *Quid ita?* [inquit] *quia quod medium intervenit, non multum est. Etenim illi & docendi munus susceperunt, & presidendi Ecclesie: & quæ de Episcopis dixit, eadem & de Presbyteris convenit dici τὴν γὰρ χειροτονίαν μόνην αὐτῶν ἀναβεβήκασιν, καὶ τὸ μόνον δοῦναι πλεονεκτηῖν τῆς προσκυτέρου. Sola enim suffragatione horum ascenderunt* [NB.] *atq; hoc solo videntur Presbyteris injuriam facere.*

VIII. Hic Bellarminus, & cum eo multi alij, non videntur satis attendisse, quid sit ἀναβαίνειν αὐτῶν χειροτονίαν. De Episcopis certè loquitur Chrysoftomus, & hos ascendisse dicit eorum, scilicet *Presbyterorum*, suffragationem: nempe quia penes presbyteros erat, ex suo cætu alicui vel ætate vel meritis præpollenti supra se concedere aliquam non *προστασίαν*, vel *imperandi auctoritatem*, sed *προεδρίαν* seu *loci prærogativam*, & in colligendis suffragijs, cogendis cœtibus & alijs quibusdam munijs obeundis præminentiam decore servando & vitandæ confusio, destinata. 1. Cor. 14. v. 33.

IX. At Bellarminus ita citat verba Chrysoftomi: ut si velit significare, Presbyteris superiores esse ordinatione Episcopos, id est, potestatem ordinandi Ministros Ecclesiæ, solos habere Episcopos, non Presbyteros.



Quod condonari posset eximio Cardinali, non tam suam
quàm interpretis culpa hallucinanti, nisi verba Chryso-
stomi græca aliter, atq; in textu habentur, citasset. Omit-
tit n. vocem αὐτῶν i. e. eorum & sic ea adducit: τὴν γὰρ
χειροτονίαν μόνην ἀναβεβήκασιν, quasi dicat Chryso-
stomus, solam ordinationem adscendisse Episcopos, id est, esse
superiores ordinatione Presbyteris, quibus tale jus non
competat. Quod neq; veritati, neq; græcæ puritati est
consentaneum. Similia multa occurrunt in Bellarmi-
no, græcarum & Hebraicarum literarum parum curioso
& gnaro: quod fortasse tolerari posset: nisi nostræ par-
tis Theologorum diligentiam nimis superciliosè ad-
spernaretur ac traduceret, tanquam literatorum, qui in
pauculis vocibus Hebraicis, quarum notitiam qualem-
cunq; pueriliter ostentent, totius Theologicæ scientiæ
perfectionem collocare soleant. Videat ille, quid sit
ὀπίσσω, quam per *contemplationem rerū supernarū* expo-
nit, immani errore l. i. c. 22. de pœnit. Tom. 3. p. 1701.
consultatq; Gerardi Vossij Gregoriū Taumarturgū p. 121.
& quid πλεονεκτεῖν in hoc ipso Chryso-
stomi loco: ubi cum
accusandi casu construitur: ex quo extundere vult, po-
testatem ordinandi cujus hic nulla in græco textu Chry-
stomi mentio fit, solis deberi Episcopis, non Presby-
teris: cum tamen in tali syntaxi semper ea phrasis inju-
riam quandam importet, testibus Grammaticis, & hoc
tantum significare velit Chryso-
stomus, Episcopos his,
quorum favore in gradum ἐπισκοπῆς evaserunt, nempe
Presbyteris hoc solo esse superiores, vel quid amplius
habere præ Presbyteris.

X. Jam quod nostri est instituti, ostendamus pau-
cis, suas plebi partes in electione Ministrorum Ecclesiæ
olim

olim fuisse, & esse hodie debere, nec sine manifestâ tyrannidis, variarumq; machinationum, suspitione Ecclesiam Romanam isthancce potestatem ad solos Episcopos contraxisse, imò quod est omnino intolerabile, Papam Romanum non nisi delegatam quandam auctoritatem seu *partem* sollicitudinis reliquis Pastoribus, Archiepiscopis Metropolitanis, Presbyteris relictam velle, *plenitudinè potestatis* universæ soli sibi assertâ, & populo Christianorum ab omni etiam conscientia & consensu electionis suorum Pastorum sequestrato.

XI. Res hæc digna est, quæ à Pastoribus & Ministris Ecclesiæ seriò consideretur: nisi anxij in conscientia, incertiq; de vocatione, & de fructu prædicationis populiq; obsequio semper esse velint dubitabundi. *Quomodo enim prædicabunt, nisi mittantur?* Rom. 10. v. 15. *cum nemo sibi usurpet ipse honorem, nisi qui vocatur.* Hebr. 5. 4.

XII. Nos pluribus alijs, quæ huc pertinent, vocationis legitimæ sive ordinariæ sive extraordinariæ conditionibus omisis nunc duntaxat de auctoritate cæus Ecclesiastici in vocatione ministrorum dispiciemus: cuius consensum necessarium esse ex sequentibus evinci posse rationibus arbitramur.

XIII. PRIMO ante oculos nobis versatur exemplum Apostolorum & Apostolicorum Virorum: quos constat in electione Ministrorum Ecclesiæ, non suâ auctoritate, qua pollebant amplissimâ, usos, sed Presbyterij iudicium & Ecclesiæ suffragationem esse secutos. Hoc demonstrat electio Matthiæ: in quâ Apostoli, Fratres & Discipuli reliqui, cognitâ ex Petro electionis necessitate duos designabant sanctitate & donis conspicuos ex Ecclesia Hierosolymitana viros, de quibus cum haud facile
esset



esset judicare, uter alteri esset præferendus, de communi omnium consensu, precibus tamen ad DEUM præmissis, sorti res commissa fuit. Act. 1. v. 23. 24. 25. Ibi concludens Lucas *συμβαλεῖσιν οἱσθῆν*, inquit: id est: *communibus calculis electus est Matthias cum undecim Apostolis.*

XIV. Rem consideratè expendens Chrysostronus quærit, *cur non solus à Christo postulaverit Petrus, ut ipsi daret aliquem substituendum in locum Iudæ? DEinde cur non potius per seipso perficiunt electionem?* Respondet autem: *Erat jam Petrus seipso factus melior: i. e. studio primatus toties antea concupiti valedixerat. Addit: Iam et illud considera, quàm Petrus egit omnia ex communi discipulorū sententiâ, nihil autoritate sua, nihil cum imperio. Et paulò post: Quamobrem Communicat negotium cum illis? Ne res verteretur in pugnam, ac delaberetur in contentionem. Nam si his ipsis hoc accidit (Apostolis) multò magis accidisset illis: semper autem hoc devitat. Quamobrem exordians dicebat: Viri fratres, oportet eligere ex nobis. Multitudini permittit iudicium, simul eos, qui eligebantur, reddens reverendos, & seipsum liberans ab invidia & simultate, quæ poterant à cæteris oboriri. Nam hæc semper ingentia gignit mala.*

XV. Cyprianus quoq; hoc exemplum electioni Sabini accommodans, ex eoq; regulam perpetuo in Ecclesia servandam faciens ita ait lib. 1. Ep. 4. quæ est 68 in edit. Pammel. p. 149. *Propter quod plebs obsequens præceptis Dominicis & Deum metuens à peccatore Preposito separare se debet, nec ad sacrilegi sacerdotis sacrificia miscere, quando ipsa maximè habeat potestatem vel eligendi dignos Sacerdotes, vel indignos recusandi: quod et ipsum videmus de divina autoritate descendere (NB.) ut Sacerdos plebe præsentate sub omnium oculis deligatur, et dignus atq; idoneus publico iudicio ac testi-*

monio

monio comprobetur: et sit ordinatio justa et legitima, qua OMNIVM suffragio et iudicio fuerit examinata: quod postea secundum DIVINA MAGISTERIA observatur in Actis Apostolorum: quando de ordinando in locum Iudæ Episcopo Petrus ad plebem loquitur, &c. Nihil luculentius his dici potest.

XVI SECUNDO in Diaconorum electione, quæ describitur Act: 6. advocata fuit ab Apostolis multitudo discipulorum, v. 2. electionis novæ necessitas exposita, iussi FRATRES, ut dispicerent de viris idoneo testimonio ornatis, plenis Spiritu S. & sapientiâ, qui proficiantur negotio dispensationis bonorum Ecclesiasticorum, & vi-tuarum, ut Tertullianus loquitur, exhibitionem administrarent. v. 3. Quæ oratio placuit toti presenti multitudini, v. 5. Et elegerunt, inquit Lucas, Stephanum, Philippum, &c.

XVII. Hic iterum Chrysostomus Hom. 14. in Acta pag. 545. edit. Commel. Non propria, inquit, sententia faciunt Apostoli, sed magis rationem reddunt multitudini. Sic & nunc fieri oportet. Vide quod iudicium eis permiserunt, & præferunt eos, qui omnibus placent, & ab omnibus testimonium habent, & magis statuunt, quod omnium testimonijs approbatur. Definire numerum & ordinare sibi vendicant: eligere autem Viros illis permittunt: ut ne videantur ipsi in gratiam quorundam agere. Hic est ille locus. ex quo carptim delibato Bellarminum suæ sententiæ fidem adstruere velle, in th. 6. dicebamus: quam solidè, viderint Jesuitæ.

XIIX. TERTIO Paulus & Barnabas Act. 14. v. 23. per suffragia creant, Presbyteros per singulas Ecclesias, χειροτονήσαντες, inquit Lucas, αὐτοῖς πρεσβυτέρους κατ' ἐκκλησίαν. Vbi verbi χειροτονεῖν vim agnoscimus, ex prisca Ecclesiæ consuetudine jam à nobis expressam atq; elucidatâ: ut mirum sit Bellarminum his luminibus conari officere,

B

re, &



re, & suis affanijs offucijsq; clarissimæ veritati obstre-
pere.

XIX. ΧΕΙΡΟΤΟΝΕΙΝ, inquit lib. 1. de Cleri-
cis c. 7. Tom. 2 p. 418. in 8. non significat eligere per suffra-
gia ab alijs data, sed eligere proprio suffragio, ut patet ex ety-
mologia & ex usu autorum. Cum igitur Lucas dicit de Paulo &
Barnaba, χειροτονήσαντες δὲ αὐτοῖς τῶ ἐσθυτέγουσαν ἐκκλησίαν,
non vult dicere, Paulum & Barnabam ad suffragia populi cre-
asse Episcopos, sed ad suffragia propria tantum: nisi velint Ad-
versarij illud χειροτονήσαντες referri ad populum, repugnante
totâ sententiâ scripturæ. Hæc Bellarminus.

XX. Respondeo, satis jam patuisse ex descriptione
χειροτονίας & ritu Episcopi ac populi, dum occupantur in
electione Ministri Ecclesiæ, esse τὸ χειροτονεῖν actum com-
munem, ubi nec populus per se solus agit, nec Episcopus.
Hujus enim est eligere proponendo, interrogando,
commendando: ut modò ex descriptione electionis
Matthiæ & Diaconorum liquebat: populi est; assensum
suum accommodando, manum exporrigendo, suffra-
gando, applaudendo. Quare & quisq; pro se hic agit, &
totus simul catus agit. Maximè tamen conspicua τῆ
χειροτονήσαντος actio est, id est, illius, qui rogationem fa-
cit, & Ecclesiam suffragantem videt, & hunc consensum
verbis, nutu, gestu, vel etiam manuum impositione con-
firmat & consummat. Quare in ventos statim dissipan-
tur: quæcunq; hîc obacervat Bellarminus. Audiat Euse-
bium ex hist. Eccles. lib. 6. cap 22. Omnes [inquit] *FRATRES*
χειροτονίας ἐγενεν electionis causa in Ecclesiam conven-
erunt: ut Anteroti successorem deligerent. Tum omnis populus
divino spiritu simul motus, omni alacritate, & uno animo di-
gnum acclamavit, & nulla morâ acceptum throno Episcopali
imposuit.

imposuit. Omnis, inquit, populus, & χειροτονίας ἐνεκεν. Ifo-
crates philipp. 1. ἔτε βελῆς, ἔτε δήμῃ χειροτονήσαντ' αὐτόν.
Vbi conjuncta populi & Senatus actio manifestè deno-
tatur.

X XI. Instat tamen Bellarminus: & ut simplicem unius
actionem voce χειροτονεῖν significari evincat, producit lo-
cum ex Actis c. 10. v. 41. ubi dicitur: *Dedit DEUS eum ma-
nifestum fieri, non omni populo, sed testibus præordinatis à
DEO:* Græcè, ἀλλὰ μάρτυσι τοῖς πρῶτοι χειροτονημένοις δὲ τῷ θεῷ
*Nec tamen DEUS [inquit] suffragiis elegit, quibus ostenderet
Christum redivivum. Hæc ille.*

X X II. Hic ajo verbum χειροτονεῖν metaphoricè
accipi, ut pleraq; alia, quæ humanitus de DEO enunti-
antur, ac proinde θεοπροπῶς id est eo modo, qui DEO con-
veniat, explicanda sunt atq; intelligenda. Talibus enim
salva sua manet significatio & proprietas: ubi ubi homi-
nibus attribuuntur. Cur Bellarminus faciem homini
tributam propriè accipit, de DEO a. dictam impropiè?
Rationem quam daturus est, advertat ipse & huc appli-
cet: Sic res salva erit. Faciat hoc iridem Hadrianus Sa-
ravia: qui de gradibus *Ministorum Ecclesia* doctè quidem,
sed molliter Bellarmino in hujus loci expositione ab-
blanditur pag. 426. *defensionis*, contra Dn. Bezam. θεὸν
χειροτονῆσαι τὸν τετελευτηκότα Lucianus dicit in lib. de calvit.
jocis suis abusus: ubi lepor omnis frigeret, si ea quam
Bellarminus dicit, verbi esset significatio.

X XIII. Præterià est in allegato Luca loco manifesta
oppositio inter χειροτονίαν DEI & hominum. Testes enim,
de quibus loquitur, publicà autoritate fungi significa-
tur, qualem habeant omnes, qui per χειροτονίαν ad ali-
quod munus publicum & solenne evehuntur: nisi quod



hæc testium CHRISTI *χρησθία* longè sublimior sit, longeq; emineat supra alias omnes divinorum humanorumq; officiorum dignitates & prærogativas, DEI nempe ipsius autoritate subnixa, summo omnium sanctorum in Catholica CHRISTI Ecclesiâ suffragio comprobata, & diutissime, ad ipsum putà mundi finem usq; duratura.

XXIV. **Q**UARTO in extraordinarijs quoq; mandatis ad Ecclesias peregrinas idem ordo servatus fuisse legitur ab Apostolis Act. 15, 22. *Visum est, inquit Lucas, Apostolis & Presbyteris cum tota Ecclesia delectos ex sese Viros mittere Antiochiam cum Paulo & Barnaba, nempe Judam, qui cognominabatur Barsabas, & Sitam, viros primarios inter fratres.*

XXV. Luculentum hoc est præscæ consuetudinis documentum, quod in legem transivisse omnis posteritas contestatur, durasseq; tantisper dum sobolescentibus Episcoporum primariorum contentionibus ac inepescente charitate, & contrà ambitionis ac dominationis studijs inter Orientalem & Occidentalem Patriarcham exæstuantibus, usq; deq; volverentur ac revolventur omnia. Mirum est itaq;, Bellarminum hîc FACTI exceptionem obtendere, ac legis ea, quæ ex tot locis produximus, vim obtinere potuisse, pernegare. At quid sequendum tandem erit, si, quod ad constitutionem præscæ Ecclesiæ observarunt Apostoli, alijsq; tradiderunt vel præcepto vel exemplo suo, insuper habendum? Si contrarium literis sacris esset consignatum, quis aliter sentire auderet vel facere?

XXVI. Unus superest nobis locus, nequaquam sicco pede prætereundus ex 2. ad Cor. 8, 18 ubi Paulus: *Misimus*



simus, inquit, unà cum eo fratrem, cujus laus est in Evangelio per omnes Ecclesias. Nec id solum, sed etiam suffragijs electus est in Ecclesijs socius peregrinationis nostræ. χειροτονθεὶς ὑπὸ τῶν ἐκκλησιῶν. Ecclesiarum mentio in hoc paragrapho verbi præsentis vim illustrat: & morem antiquum ostendit: ad quem roborandum par est Pastores Ecclesiæ omnem operam studiumq; conferre, nec temerè sibi quicquam arrogare, nec è contrariò etiam permittere: ut qui juribus Ecclesiarum imminet, & ad se omnem auctoritatem contrahere nituntur, Episcopis ac Presbyterio injuriæ fiant, eosq; ab omni & dignitate & potestate deturbent: quibus dum præminetia loci, jus convocationum atq; aliæ prærogativæ adimuntur, aliter fieri haud potest, quin Ecclesia squaleat, Veritatis inquisitio elanguescat, & via ad propagandam sinceritatem rituum ac dogmatum emendationem, segnescentibus Pastoribus & animos tantum non planè despondentibus præcidatur.

XXVII. Super sunt multa rationum momenta, quæ Pontificiorum Hieromonarchicis conatibus opponenda sunt: ne sibi in Ecclesias imperium sumant, & Clerum populumq; ab electione suorum pastorum penitus amendant. Certum quippe est, neminem in hanc Christi familiam admitti debere, tanquam CHRISTI administratorem, nisi prius probè exploratum. Id sanctio jubet Apostoli tradita 1. Tim. 3. his verbis: *Diaconi sint honesti, non bilingues, non multò vino dediti, non turpem quæstum facientes. Atq; hi etiam probentur prius, deinde ministrent, si sint inculpati. Vxorès itidem oportet esse honestas, non calumniosas, sobrias, fidas in omnibus. Diaconi sint unius uxoris mariti, qui liberis rectè præsent, & proprijs domibus.*



mibus. Nam qui benè ministraverint, gradum sibi bonum
acquirunt & multam libertatem per fidem, qua est in Chri-
sto Jesu.

XV VIII. Hæc & consimilia alia, quæ in eodem ca-
pite de Episcoporum & Diaconorum moribus præcipi-
untur ab Apostolo, non sunt comittenda iudicio unius
Episcopi, vel præiudicio & largitionibus corrupti, vel ab
Ecclesia suâ (id quod Pontificijs nunc solenne est) per-
petuò absentis, vel curis rerum secularium & negotijs
fori penitus obfesso, vel turpissimis voluptatibus & desi-
derijs dissoluto. Rectè olim Plinius in Paneg. *Singuli
decipere & decipi possunt: nemo omnes, neminem omnes se-
fellerunt.*

XXIX. Quare procul dubio nihil est consultius,
quàm ut plebis vox, vel eorum, qui plebis ore loquun-
tur, prius recognoscatur: quò testimonio publico mo-
res ordinandorum comprobentur: ne ex personis ali-
qua labe vel infamia toti cætui adspargatur. Quæ enim
semel deformat speciosam Ecclesiæ faciem macula aut
ruga in Præpositis: ea non potest deinceps obliterari: sed
quò crebrius (faciem enim quis possit tegere?) sese o-
mnium oculis & mentibus ingerit, eò acrius vulnerat,
& altius penetrat, suaq; contagione latius grassatur, in-
ficit & interficit quàm plurimos.

XXX. Graviter simul atq; eleganter, ut omnia,
Cyprianus, cum multa de sacerdotum castimoniâ & in-
tegritate præmisisset, tandem subiicit, lib. 1. Ep. 4. *In-
struit & ostendit [DEVS] ordinationes sacerdotales non nisi
sub populi assistentis conscientia fieri oportere, ut plebe præsentem
vel detegantur malorum crimina, vel bonorum merita prædi-
centur: & sit ordinatio iusta & legitima, que omnium suffra-
gio &*

gio & iudicio fuerit examinata. Propter quod diligenter de traditione divina & Apostolica observatione servandum est & tenendum, quod & apud nos quoque & ferè per provincias universas tenetur, ut ad ordinationes ritè celebrandas, ad eam plebem, cui Prepositus ordinatur, Episcopi ejusdem provincia proximi quique conveniant: & Episcopus deligatur plebe presente, qua singulorum vitam plenissimè novit, et uniuscujusque actum de ejus conversatione perspexit.

XXXI. Apostoli sententia est in 1. Tim. 3. eum, qui mittitur, bono testimonio ornatum esse debere etiam ab extraneis. Quid ergo de domesticis fidei pronuntiandum? Illorum judicia extimescenda: an non & istorum? Origenes Hom. 6. in Levit & ex eo jus Canonicum caus. 8. q. 1. Capit. Licet: Requiritur in ordinando sacerdote & presentia populi, ut sciant omnes, & certi sint: quia qui praestantior est ex omni populo, qui doctior, qui sanctior, qui in omni virtute eminentior, ille eligitur ad sacerdotium: & hoc adstante populo, ne qua postea retractatio cuiquam, nequis scrupulus resideret. Hoc autem, Oportet illum & testimonium habere bonum ab ijs, qui foris sunt: Si ab Ethnicis, quanto magis à populo DEI petendum est hoc testimonium.

XXXII. Si secus fiat, & Ecclesiasticos canones sobri & Ethnicos ad blasphemiam suspicionemque cogi declarat Athanas. Apolog. 2. ut putent, non legibus ritumque divino, sed nundinatione & potentia Episcopos constitui. Similia citat Baronius ipse in Annalibus ad An. 254. n. 41. & 45. ex Cypriano: & ad An. 224. n. 6. ex Origene: cum tamen alias jus suffragij auferre conetur populo: quod evictum à nobis esse minime ambigimus.

XXXIII. Agmen claudat solida ratio non tam ex appellatione quam institutione Ministrorum Ecclesiae petita. Christi & Ecclesiae tanquam Sponsi & Sponsa Ministrorum



vocantur. Quorum ministri sunt & vocantur, ab iisdem etiam ut constituantur necesse est: cum non nisi ejus ministrum esse aliquem conveniat, à quo in ministerium assumptus est, & cujus autoritate administrat. Ecclesia ergo, ut in multis alijs sic in gravissimo hoc negotio libertatem suam salvam atq; integram Deus esse voluit: cujus nisi magna esset in his atq; talibus autoritas non juberemur credere sanctam Ecclesiam Catholicam in symbolo Apostolico: non diceretur ipsa esse columna & stabilimentum veritatis 1. Tim. 3. non ad eam nos ablegaret Christus Matth. 18. non ad communionem sanctorum nos revocaret fidei Christianæ Catholica confessio: cujus in Ecclesiæ piorumq; externa societate præcipuum gluten seu vinculum est Pastorum & ovium conjunctio.

XXXIV. Iam quod Præcones Verbi, ministri sint Ecclesiæ, non Papæ, non Episcoporum, non Regum aut Principum, ex sequentibus scripturæ testimonijs liquidò patet, 1. Cor. 3. 21. *Omnia vestra sunt & Paulus & Apollos, & Cephas & mundus & vita & mors & presentia & futura: omnia inquam vestra sunt: vos autem Christi, Christus autem Dei.* Et paulo ante: *Quis igitur est Paulus, quis autem Apollos, nisi ministri, per quos credidistis, & ut cuiq; Dominus dedit?* Sed quis sibi his atq; talibus recedendis queat satisfacere?

XXXV. Quibus si non volunt obsequi Iesuitarum Patres, audiant illi saltem suos Papas. Ita Anicetus in Ep. Vnic. dist. 64. c. 4. *Oportet autem ut ipse, qui illis omnibus præesse debet, ab omnibus illis eligatur.* Pelagius Papa Ep. 1. pronunciat Ecclesiæ liberum debere esse de eo, qui eam rectorus est judicium. Plura aliàs dabimus, & Bellarmini argumenta, quæ orthodoxæ nostræ sententiæ contraire videntur, spiritu veritatis difflabimus.

F I N I S.




617.

di

m-

22.





25.
25

DE XEIPOTONIA

Ministorum Ecclesie,
commentatio Theolo-
gica;

in qua

Verbi vis enuncleatur, &

electionis antiquæ forma repræ-
sentatur;

publice

Ventilanda

in

ACADEMIA MARCHICA,

CHRISTO VOTIS ANNVENTE,

